Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Praeloquium

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

Tomi Primi

Theologiæ Universalis ~~Ethnicæ~~

~~Tomi Primi~~

~~De locis Theologicis~~

Tractatus Secundus

De

Traditione Sacrâ.

Præloquium.

Discussis priori Tractatu omnibus, quæ circa S. Scripturam Theologis Scitu necessaria nobis visa fuêre, modò nobis ea veniunt excutienda, quæ circa Sacram Traditionem alteram fidei nostræ Catholicæ regulam disputari solent. Et ne dicta nostra confusionem aliquam pariant, præsentem Tractatum in varia Capita, pro quæstionum in eo occurrentium varietate distinguemus; priusquam tamen singula aggrediamur, velut in limine explicandum nobis est, quid Traditionis nomine veniat, et quotuplex ea sit.

Traditio igitur generatim et latissimè sumpta nihil est aliud, quàm Doctrina quævis, sive Scripta, sive non Scripta ab uno alteri communicata: Sic Lex antiqua à Dominô in monte Sinaï Moysi tradita, à Moyse deinde Josue, à Josue Senioribus, à Senioribus Prophetis, et à Prophetis deinceps magnæ Synagogæ viris communicata, Traditio generatim et latissimè sumpta vocatur juxta illud Exodi a Dominô Moysi dictum*: Scribe hoc ob monimentum in libro et trade auribus Josue.

* Exod. c. 17. v. 14.

2.
2. Minùs latè, et juxta communem loquendi modum sumpta Traditio, prout tùm à sacrâ tùm à profanâ abstrahit, est doctrina non scripta, sed vivâ voce per Majores ~~nostros~~ ad posteros successivè tradita; ut est e.g. illa, qua varia novimus heroica veterum gesta, quamvis nunquam scriptò tradita fuerint; Item ea, quâ scimus, hôc in tumulô sepulta jacere Majorum nostrorum ossa.

3. Strictè verò, ~~[illegible]~~, atque Theologicè spectata, quæque ideò sacra nuncupatur, Traditio, et de quâ sola hû agere nobis animus est, nihil est aliud, quàm fidei vel morum doctrina non scripta, sed vivâ voce quasi de aure in aurem successivè tradita, cujusmodi est ea, qua credimus varia fidei dogmata, quamvis nullibi, saltem satis clarè, in Scripturis expressa; ut illa, e.g. qua B. Mariam Deiparam etiam post partum virginem credimus, item ea, quâ parvulos baptizandos esse tenemus; qualis etiam est illa, de quâ S. Chrysostomus ait*: Traditio est, nihil quæras amplius. quales denique et illæ quas Thessalonicensibus commendat S. Paulus dicens*: Tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.

4ta pag. 64

* Hom. 4. in 2. ad Thess.

* 2. ad Thess. c. 2. v. 14.

~~[illegible]~~

Dicitur autem non Scripta ρ, non quòd nullibi Scripta sit; reperitur enim ~~aut~~ in Conciliorum Canonibus, Decretis Summorum Pontificum, Scriptis SS: Patrum ρ. Sed quòd ab iis, qui illius sunt auctores, eamque posteris suis tradiderunt, Scripto mandata non fuerit. 3.

Hujusmodi autem Sacra Traditio ~~alia est divina, alia humana. Divina est, quae Deum vel Christum habet auctorem, humana verò, quae ab hominibus proficiscitur, ea tradita fuit~~ considerari potest, vel ex parte auctoris à quo est, vel ex parte rei, quae tradita est, vel ex parte ejus, cui traditur, vel ~~denique~~ ex parte modi, quô traditur, vel ex parte durationis, ad quam traditur. 4.

Si ex parte auctoris sui spectetur, alia est Divina, humana alia. Divina est, quae Deum vel Christum habet auctorem; humana verò, quae ab hominibus proficiscitur.

Traditio humana subdividitur in Apostolicam, Ecclesiasticam, et merè humanam. Apostolica est, quae, vel ab Apostolis Spiritû Sanctô afflatis provenit, aut quam per eosdem à Christô edoctos recepit Ecclesia; haecque propriè loquendo divina est, et denominativè duntaxat Apostolica, quia ~~[illegible]~~ à Christo Domino, non ab Apostolis primò profluit, licèt per Apostolos Ecclesiae tradita fuerit; et ob hanc rationem divinae novi Testamenti traditiones nonnunquam simpliciter Apostolicae nuncupantur. Vel quia ab Apostolis tan- 5.

4. quam Ecclesia Prælatis et Pastoribus sub præsidiô et assistentiâ Spiritûs Sancti primò et immediatè in bonum Ecclesiæ fluxit; et hæc propriè Apostolica dicitur.

6. Traditio Ecclesiastica propriè dicitur illa, quæ nec à Christô, nec ab Apostolis, sed post Christi in cœlos ascensum, et Apostolorum ex hac vitâ discessum est ab Ecclesia Prælatis vel populis introducta, et tandem per modum legis, vel per modum consuetudinis tacitô sibi succedentis populi consensu et usu recepta, et ad nos usque delata.

7 Traditio autem merè humana est, quæ homines sibi solis relictos auctores habet.

8 Harum Traditionum hæc subjicimus exempla: Traditiones Divinæ censentur ea, quæ sunt De perpetua Mariæ Deiparæ Virginitate; De baptizandis, etiam ante usum rationis, parvulis; De non rebaptizandis Hæreticis; De invocatione Sanctorum; De Sacrarum imaginum cultu; De septenariô Sacramentorum numerô; De Sacrorum Librorum ~~[illegible]~~ divinitate p. Quæ etiam simpliciter Apostolica nuncupari possunt, quia, ut supà dictum, licèt immediatè et primò profluant à Christô Dominô, tamen per Apostolos Ecclesiæ tradita fuerunt.

9 Traditiones verò propriè et merè Apostolicæ sunt inter alias: Quadragesima, et Quatuor Temporum institutio. Observatio Diei Dominicæ loco Sabbati. Trina mersio olim in baptismo servari solita. Chrismatis renovatio, annis singulis faciendæ.

Traditiones Ecclesiastica sunt: Solemnitas, et observatio Festorum. Abstinentia à carnibus, ovis, lacticiniis certis anni diebus. Pia et laudabilis Cruis formanda consuetudo. Pius aquâ benedictâ aspergendi mos. Antiquus Candelarum, Cinerum, palmarum, et similium benedictionis usus. 5. 10

Traditio denique merè humana sunt ea Pharisæorum, De lotione manuum ante comestuam &c. ii.

Traditio spectata ex parte materiæ traditæ seu materiæ, circa quam versatur, duplex est, una de fide scilicet, altera de moribus. Prior nihil est aliud, quàm non scripta, sed vivâ voce de aure ad aurem successivè tradita fidei doctrina: ut, præter Traditiones divinas supra assignatas, sunt: Quòd Scriptura Sacra, quâ utimur in Ecclesiâ Catholicâ, sit verè divina. Quòd quatuor sint Evangelia Canonica, nec plura nec pauciora. 12

Traditio morum, sive de moribus et ritibus est doctrina primitùs non scripta sed successivè tradita pro dirigendis formandisque moribus et ritibus, seu pro morum disciplina: qualis inter quamplures alias est Traditio sive doctrina: De jejuniorum observatione certis anni temporibus et diebus. De Festorum celebratione, certis pariter anni diebus. De benedictione et aspersione aquæ. De formando Cruis in fronte signo. De abstinendo à servilibus operibus in Dominicis festisque diebus. De facie ad Orientem vertendâ, dum Deus oratur. 13.

6. Traditio spectata ex parte ejus cui tra-
14 ditur, v.g. ex parte loci vel Ecclesiæ alicujus particularis, vel universalis, dividitur in universalem, et particularem.

Traditio universalis seu generalis est ea, quæ sive divina sit, sive Apostolica, sive Ecclesiastica, fideles omnes ubique gentium dispersos attingit, seu, quæ universam respicit Ecclesiam; quales sunt e.g. Anniversaria majorum festorum Paschatis, Pentecostes, et similium. Quadragesimæ, et Quatuor Temporum jejunia. Aquæ benedictæ, exorismorum, aliorumque similium usus.

15 Traditio particularis e contrà est ea, quæ unam duntaxat, vel particulares paucas respicit Ecclesias. Hæc vel purè Apostolica duntaxat, vel merè Ecclesiastica est; neque enim divina esse potest, cùm divina omnes spectet Ecclesias non unam aut alteram particularem. Hujusmodi particularis Traditio erat olim Romæ, Observatio jejunii die Sabbato.

16 Traditio spectata ex parte modi, quo traditur, idest vel per modum consilii, vel per modum præcepti, dividitur in liberam et necessariam. Hæc est, quæ necessariò servanda est, quia per modum præcepti instituta: ut Prædicta Majorum festorum observatio. Calicii miscendæ aquæ usus. Paschatis celebratio Dominicâ primâ post decimam quartam Lunam Martii.

17 Libera verò est ea, quæ per modum consilii lata, et ad libitum observari, et non observari permissa est. Hæc ad solam Ecclesiasticam et purè Apostolicam refertur; cùm Divina sit immutabilis et necessaria;

sic libera sunt e.g. istæ Traditiones, et nisi in- 7
tervenerit contemptus, aut proximo detur scan-
dali occasio, sine peccato omittuntur: Aspersio aquæ lustralis. S. Crucis in fronte signatio. Orantis ad Orientem conversio, et similes alia.

Traditio denique spectata ex parte durationis, pro quâ, vel ad quam traditur, hoc est pro semper, vel ad certum tempus dividitur in perpetuam et temporaneam. 18
Perpetua dicitur illa, quæ est instituta, ut semper duret, et à nullâ auctoritate creatâ mutari potest; quales sunt divinæ omnes, et à Christo per Apostolos ad nos usque transfusæ; ut v.g. illæ omnes, quæ sunt circa fidem, vel Sacramentorum administrationem, sive sint de necessitate sacramenti, ut sunt materia et forma; sive de necessitate præcepti, qualis est v.g. doctrina de aquâ miscendâ calici, de quâ S. Cyprianus ait*: Admonitos autem nos sciat, ut in calice Domini offerendo, Dominica Traditio servetur; ut calix, qui in commemoratione ejus offertur mixtus aquâ offeratur. * Lib. 2. Ep. 3.

Traditio Temporanea, sive temporalis 19.
dicitur illa, quæ sive instituta sit ad certum tempus, sive illimitatè, talis tamen est natura, ut possit per Ecclesiam mutari, quales sunt Traditiones purè Apostolicæ, quales et Ecclesiasticæ omnes, prout mutatæ sunt variæ ab Apostolis tanquam Ecclesiæ Rectoribus ortæ Traditiones, quales sunt istæ v.g. De trina immersione olim in Baptismo servari solitâ. De quotidianâ fidelium

8 omnium communione post peractam consecrationem. De communione sub utrâque specie à Laicis aliquando servatâ. De Agapis, seu communibus conviviis olim in Ecclesiâ fieri solitis. De mutuô osculô post preces, sive de ritu se mutuò salutandi in osculo pacis. Hic nobis præcipuè de Divinis Traditionibus agendum. circa quas sit.

~~De singulis hisce Traditionibus singulis capitibus mandò agendum~~.

20. Caput Primum

De Traditionibus Divinis, earumque existentiâ, necessitate et auctoritate.

Tria circa Traditiones divinas præsenti Capite nobis præcipuè examinanda sunt; an videlicet dentur et existant; Quænam illarum sit auctoritas; et denique, an sint necessariæ. Sit igitur

Conclusio Prima.

~~20.~~ Præter Scriptum Dei verbum datur etiam non Scriptum, seu Traditio divina, ~~altera fidei nostræ regula~~

Pb. Conclusio I.º ex S. Scripturâ.

Scriptura sacra audienda est et sequenda tanquam fidei nostræ regula: Ergò etiam verè datur, et audienda, ac sequenda, et tenenda est divina aliqua Traditio. Antecedens ultrò omnes admittunt etiam ii, qui traditiones divinas rejiciunt.

Consequentia probatur. Ipsa sacra Scriptura multis in locis Traditionem audiendam et tenendam esse docet, tam in Veteri, quàm in Novô Testamentô: Ergò si audienda est et sequenda S. Scriptura: Traditio quoque divina audienda, tenenda et sequenda erit.